

Cap. CXXVIII. „De resurrectione Domini, et de sepulchro clauso.” —

„Quodam tempore in nocte Paschae hora matutinali mansens in ecclesia, post Matutinum coepit cogitare, quia non esset incredibile, quod Homo-Deus natus exisset de Virgine: hoc autem valde esset admirandum, quomodo homo magnus exisset et surrexisset de sepulchro clauso et lapide advoluto.”

„Erat Chorus Ecclesiae, in qua ipsa erat, clausus, et intrinsecus ostium repagulo obseratum, et cuneus ligneus magnus inter ostium et repagulum strictè incussus, ne posset repagulum amoveri. Murus medius, qui dividebat chorum et Ecclesiam, elevatus fuit et contiguus testudini chori, ut nusquam transitus vel modicus pateret. Cumque sic cogitasset, ut dictum est, ecce cuneus ille cum strepitu avulsus est de intermedio ostii et repaguli, et divina quadam virtute transiens de clauso ostio et choro ante faciem dictae Virginis cecidit casu magno super lapides pavimenti, non tamen tangens eam, incussit ei repentinum et magnum terrorem. Ipsa autem ad cor reversa, oravit Dominum dicens: tu Domine satis hodie me terruisti: consolare me etiam nunc. Et mox accidit ei modicus somnus, et inclinata est super lapides pavimenti.”

„Apparuit quoque tunc ei Dominus, portans in manu scutellam, in qua fuit pars piscis assi cum favo mellis. Et dixit Dominus ei: *comede*. Cui illa: eja, inquit, Domine, si tu comederes, ego eò libentiùs comederem. Tunc Dominus frangens quasi modicum morsellum de pisce, et intingens posuit in os, et gustavit: reliquam particulam porrexit in os virginis. Et ait Dominus: „*Nunquid tibi videatur aliquid fore Deo difficile? Quia quidquid vult Deus, hoc est facillimum et possibile.*” Unde ostendit ei Dominus, quod, quemadmodum sine impedimento illud corpus solidum transivit aliud corpus solidum, sic Corpus Domini resuscitatum transivit et exivit de sepulchro clauso. Dixit mihi haec virgo, quòd à die illo Paschae usque ad diem Ascensionis omnia, quae gustavit et comedit, mellium cum sapore habuerunt.” —

Cap. CXXIX. „De multitudine hominum et angelorum.”

„Anno Domini MCCLXXXI in festo Sancti Michaelis facta in spiritu vidit infinitam hominum multitudinem, et infinitam